QUÆDAM COLLECTIONES MEDICÆ

DE OPHTHALMIA,

Quas, in Auguſtiſſimo Medico Monſpelienſi Apollinis Fano propugnandas, ordinaverat Joannes-Baptista Mayet, è loco *Liſle*, Diœceſis Petracorenſis apud Aquitanos, in Artibus venerandæ Univerſitatis Pictavienſis Licentiatus, jam-dudùm Medicinæ Alumnus, interque ejus Studioſos quadripartitæ Syndicaturæ vicem unam S. gerens.

Pro primâ Apollinari Laureâ conſequendâ.

PARENTIBUS SUIS DILECTISSIMIS

Dicat, vovet

Addictiſſimus filius
J. B. Mayet.

Abundante ſenſu verba deficiunt.

DE OPHTHALMIA.

1. Cuilibet inflammationi communia ſigna, v. g., rubor, dolor, ardor, &c. (*a*) in oculis promota, præſentem indigitant ophthalmiam.

1. (*a*) Hæc vulgata inflammationis ſigna, ipſi non adeo neceſſariè nectuntur quin pleraque defuiſſe viſa ſint, ubi quidem de inflammatione prægreſſa nullum dubium moveri poſſet; illud aſſertum anatomicis obſervationibus, circà viſcerum phlogoſim potiſſimè nititur; attamen ſi quædam ex recenſitis ſignis reperias conjuncta, licet omnia haud eruperint, nonne idcirco ophthalmiam argues ? ſic ophthalmiæ præludiis primus alludit ſpaſmus dolorificus, huic dein accedit rubor, & vice verſâ, in ophthalmiis etiam antiquis, vaſa quædam



his ſignis variæ affixæ ſunt modificationes, dolor enim modò nullus, aut levis, pruriginoſus gravans, modò vehemens lancinans, pungens, pulſatorius. Rubor in principio quandoque deſideratur, ſemper verò comitatur, aut modicus non ultrà adnatam procurrit, ipſius album quaſi radiatim diſcriminans, aut intenſior omni albedine extinctâ totum perfundit globum, ita ut ipſa cornea, intùſque uvea rubeant (*b*). Tumor interdùm nullus, aut parcus ex rubore ſolummodò percipitur, alias admodùm inſignis obſervatur, quippè-qui adnatam cui præſertim inſidet, in aggerem circà corneam elevet, & hæc ultima intrà foveam uti depreſſa videatur. Hæc omnia continenter, vel remiſſiùs acriùſve per intervalla vexant (*c*).

2. Nunc, ad phœnomena ſoli ophthalmiæ propria, quadantenùs oculorum fabricæ, ipſorumque nexui cum partibus vicinis plùs minùſve ſimul læſis peculiariùs referenda, deſcendamus. Duplex oculorum habitus, nùnc à naturali parùm abludentes, aut valdoperè ſicci, pulverulenti, velut lapidei occurrunt, nunc humoris profluentis latici innatant, cujus interdùm tanta acrimonia, ut effloreſcant phlictenæ vel generentur ulcera, in limbis palpebrarum ipsâmet corneâ, &c., genæ aliæque partes ſubjacentes excorientur, imò quandoque ad oſſa uſque erodantur (*a*). Lucis ſuboritur dolorifica ſenſatio horror-

---

rubra in adnata eminent, & ruborem ſine dolore producunt &c. (*b*) Teſte *Schmukero* uvea & choroïdea ſæpenumerò rubent. . . . . Inſpicientibus iris quandoque rubra apparet *Boerhaavius*. . . . . Ipſam quoque corneam rubuiſſe obſervavit *Gendron*: at ſæpiùs notante adhuc *Schmukero*, in chemoſi cornea evadit ſolitò craſſior, opaca, albuginemque oſtentat, &c. (*c*) A præfatorum ſymptomatum vehementiæ gradu ophthalmiam metientes, hanc diviſerunt auctores, in levem quæ *taraxis* & graviſſimam quæ *chemoſis* dicitur. Liceat nos his vocabulis uti, quanquàm meris apparentiis affigantur, neque rarò ſymptomatum facies deprehendatur fallax, etſi etiam nos lateat uſquequò extendatur taraxis, & quandonam in chemoſim migret. Ophthalmiæ habitæ ſunt aliæ diviſiones, à diversâ ipſius ſede, duratione, habituque petitæ quas equidem notabimus, at ultrò miſſas faciemus, iis magis genuinas ſubrogaturi.

2. (*a*) Pro hoc vario habitu oculorum, in *ſiccam* & *humidam* diſpertita fuit opht.; ſicca ad chemoſim aut taraxim vergit: in 1°. caſu, tumor, dolor inſignes, ſiccitas vera ſeu *ſcheroma*; in 2°., notante *Celſo*, « neque tument, neque fluunt oculi; ſed rubent tantùm, & cum dolore quodam ferè levi, ac prurigine graves ſunt, & palpebræ citrà duritiem ullam noctù prægravi pituitâ inhæreſcunt. » Lotu emollienti frequenter repetito, ſcheromati, nimioque bulbi calori obviàm eundem eſt, ne corneæ pelluciditas pereat, ſpecialiùs verò ubi lagophthalmus aut exophthalmia obtinent, aut efformantur ſordes ſeu gramiæ, quæ haud ſufficienti ſero dilutæ, in cruſtas abeunt, ſive

que (*b*). *Myosis* etiam deprehenditur, seu spasmus pupillæ, qui adeò validus est *aut* inæqualiter dispersus, ut nullum remaneat vestigium *core*, *aut* ipsi variæ inducantur figuræ. Ut ut inflammationem adnatæ plerumque presso pede subsequitur internæ palpebrarum superficiei inflammatio, hæc bulbi velamina tempore somni, aut ex proprio tumore sibimetipsis contigua, spissæ ope materiæ è glandulis *Meibomii* exsudantis, ad se mutuò simul cum ciliis coalescunt (*c*). In chemosi palpebræ tumefactæ, inprimis inferior, sæpè evertuntur, subindè eversionem seu *ectropium* promovet globus protuberans (*d*), tarsos enim extrorsùm retorquens, ipsos ad se invicem accedere non permittit (*e*).

---

bulbo sive tarsis accrescentes. Ophtalmia humida ad taraxim aut chemosim propriùs accedit, prout *epiphora* seu ex oculis cujuscumque humoris profluvium, insigni acrimoniâ destituitur aut præditur. In genere siccas gravitate superant humidæ; in chemosi humidâ palpebræ inflammatione nunquàm immunes, dolores continui, &c. Epiphora, sæpiùs incipiente morbo, aut seriùs aliquando, oboritur; nonnullis profluvium est continuum, aliis verò tunc solummodo accidit dùm palpebræ oculum tegentes aperiuntur; humoris profluentis copia quandoque est incredibilis, ex *Oerlingii* observatione apud *Trnka*. « Aurifaber ophtm. e cephalalgia à mercurii fumo hausto cum virium debilitate, anorexia, vigiliisque concitata nactus est cum tanto seri limpidi ex oculis per intervalla profluvio, ut per 3 vel 4 hor. illud velut è gutturnio fluens vasis colligi potuerit. » Epiphora *serosa* est aut *saniosa*; serosa ubi, « serum lacrymis fervidis mistum ex oculis ubertim profluit, atque hæc species longè frequentissima est; saniosa, ubi sanies purulenta ex discussis abscessibus aut ulceribus saniosis ad oculos translata eos inflammat, inde que iisdem prædita dotibus, cum queis aut in abscessu coercebatur, aut ex ulcere patulo profluebat anteà, jugiter dimanat *Trnka* ». Ubi puncta lacrymalia in suis functionibus impediuntur, epiphora obsevatur, quin laticis lacrymalis secretio aucta sit &c. Humor puriformis ex marginibus palpebrarum exsudans specialiter dicitur lippitudo. (*b*) Hæc dolorifica sensatio adesse potest, licet partes oculi internæ nullâ inflammatione laborent. (*c*) Coalitus ille palpebrarum dicitur *anchyloblepharum* spurium. Ne autem dubium moveatur circa verba quæ diverso aut multiplici sensu apud auctores accipiuntur, omnes quorumcumque interesse potest monitos volumus, usui nostro inservire nomenclaturam illust. *Plenck* de morb. ocul. (*d*) Exophthalmia est tanta oculi intumescentia, ut palpebris tegi nequeat, non solùm à validissimâ bulbi inflammatione, sed etiam ab *hypopio* ophtæ. effectu aut metastatico, ab *hypæmate*, hypogala, congestione sanguinis qualis observatur in parturientibus strangulatis, oriri potest &c. (*e*) Hæc impotentia palpebras claudendi vocatur *lagophthalmus*, illam causare valent præter exophthalmiam, encanthis inflammatoria, staphiloma, seu corneæ prominentia ex præternarurali suæ substantiæ opaci-

Præ enormi palpebrarum intumeſcentia aut ſpaſmo, ipſarum, ſed ſuperioris potiſſimùm accedit *blepharoptoſis* ſeu phymoſis, in primo caſu haud ſolo voluntatis arbitrio, in ſecundo vix etiam digitis aperiri queunt; utroque autem notabili tumore, bulbi nempè ac palpebrarum ſimul exiſtente, tantæ molis oculus eſſe ſæpè videtur, ut, ovi gallinacei pugnive magnitudinem æmuletur. Interdùm palpebræ limbis ſuis introrsùm ita vergunt, ut de tarſis & ciliis nihil omninò conſpiciatur (*f*). Viſus in oph. minuitur aut impeditur, quod ex intolerantiâ lucis ſeu *photophobiâ*, anchyloblepharoſpurio, myoſi, corneâ opacatâ palpebrarum ſpaſmo, &c. arguitur. Dolor capitis oph.æ ſupervenit, aut ipſi aliquandiù præludere ſolet, ut plurimùm pulſatorius eſt, aut punctorius, partes internas externaſve divexans, uno tenore vel periodicè decurrens; oph.a monoculâ laborantibus hemicrania ſæpiùs è latere oculi affecti accidit: haud rarò per conſenſum oculo ſano ſuboritur dolor (*g*).

3. Varia eſt. oph.um duratio, aliæ enim ſignis ſpecie gravibus ſtipatæ, promptiùs curſum ſuum abſolvunt, at præter morem graviorum inflammationum, pluries in longius excurrunt tempus; aliæ haud truces minas invehentes, & tardiori paſſu procedentes, plures menſes annoſque durare ſolent (*a*).

4. Febris haud raròin taraxi abeſt, huic adoleſcenti ſupervenit, interdùm ipſi præmittitur, nunc æquâ fronte curriculum ineunt, alias febri diſceſſæ ophthalmia ſuperſtes: chemoſim ſæpiùs comitatur; hinc habenda febris tanquam phœnomenon ophthalmiæ accidentale, ipſius naturam non ingrediens (*a*).

---

tate & craſſitie &c. (*f*) A tali palpebrarum conditione ſeu *entropio* inſeparabilis eſt *trichiaſis* ni deficiant cilia. (*g*) Non ex dolore ſolo evincitur oculorum conſenſus: ſiquidem alteruter quomodocumque affectus alteri eamdem labem communicat: ſic opht. monoculæ, gravi & diuturnæ ſupervenit oculi ſani inflammatio. « Sic ab unius oculi amauroſi, ſenſim etiam alter oculus obcæcatur. . . . . cataracta unius oculi facillimè intrà aliquot annos alterum oculum afficit, ni tempeſtiva cataractæ primæ extractio fiat; hac autem non raró alterius oculi cataracta præcaveri poteſt. » *Plenck.*

3. (*a*) Hæ *acutæ* dictæ, febrem habere comitem, iſtæ *chronicæ* nuncupatæ febre deſtitui, potiſſimùm videntur: poſteriores continenter durant aut crebriùs recurrendo in diuturnitatem tendunt. In 1°. caſu nomen proprium retinent; in 2°. vagæ vel periodicæ dicuntur, quatenùs incertis aut ſtatis temporibus revertuntur.

4. (*a*) Febres intermittentes ſub opht.æ larvâ deliteſcere amant; tale conſortium aut potiùs naturam communem præſumere haud ineptum eſt; ſi per paroxiſmos affligat, recurſus patiatur, tandem iiſdem remediis auſcultet ophta. Licet febres larvatæ à quâcumque causâ materiali pendere poſſint, nihilominùs ubi ſub periculoſi ſymptomatis habitu, *vitæ inſidias ſtruunt*, citò citiùs cortice ſunt ſufflaminandæ, &c.

5. Potiorem juxtà ac sequiorem sexum infestat iste morbus nullamque ætatem respiciens à cunis ad annos usque decrepitos vagatur.

6. Evolutionem ophthalmiæ promovere valent varii stimuli externè oculis applicati, quales lux nimium vivida è directo missa vel reflexa (*a*), lucubratio immodica, microscopiorum abusus eò magis noxius quò in eorum usu oculorum alteruter alio magis defatigatur, caustica, acidave illapsa, volatilium stercora, pulveres acres in oculos auferendæ maculæ gratiâ insufflati, vapores exhalationesque irritantes oculis submissa (*b*); asperitates in internâ palpebrarum superficie enatæ, quales carunculæ, pustulæ duræ, sabula ipsis infixa, hinc varium *trachoma*; cilia aut palpebrarum tarsi introversa, varia fragmenta aut ramenta oculis illisa, seu scintillæ ex accenso pulvere pyrio, sivè alæ muscæ pili pulvini, scoriæ ferri (*c*), paleæ frumenti sub trituratione insilientes (*d*); atmosphæra pulverulenta (*e*), læsiones externæ, quales contusiones, com-

---

6. (*a*) « Omnes ferè incolæ Asiæ æquinoctialis strabones & nyctalopes sunt; hi interdiù (*noctuarum ad instar*) album oculi tantum ostendunt, pupillam autem sub palpebris recondunt, ne à radiis solis quos arenosum solum reflectit lædantur. » *Plenck*. . . . Orientales alii in vivido solis per aërem serenissimum splendore, supercilia sua antiquissimo more nigro colore tingunt. Ubicumque perpetuæ ferè nives & solis circa horizontem circumeuntis radii oculis periculum intentant, secundas palpebras arte sibi parare necessitas gentes barbaras docuit, propè in eo uno ingeniosas. *Portelfield*, *Kempfer*, amæn. exot. apud *phisiol.* D. de *Haller*. (*b*) *Lapponibus*, *Finnis*, *Norvegis*, *qui* in fumo perpetuo versari coguntur familiares sunt lippitudines, ophtalmiæ. Cloacarum exhalationes foricariis sæpissimè ruborem oculi evanidum & quandoque opht.^{m} inducunt. . . *Paulus Æginetus* frequentiam opht.^{e} apud Ægyptios à volatilitate acri & lacrymosâ ceparum repetebat ; at ipsam in constitutione Ægypti calida & humida reponere satiùs erit. . . Fuci queis mulieres faciem adornare solent, opht.^{m} adducere videntur & duplici modo. 1°. Si oculis quoque admoveantur & acrioribus constent; 2°. si oculi illitione immunes non in eâdem ratione quâ cæteræ partes vultûs roborentur tunc quidquid morbosi ad caput evehitur, intrà ipsummet colligitur aut versùs oculos erumpit. (*c*) Ubi scoria ferri corneæ aut adnatæ infixa, instrumentis apprehendi nequit admoto magnete, feliciter interdùm educi potest; at magnes cum quibusdam cautelis admovendus. « Illud hortor, inquit *Morgagnius*, ut modicarum virium magnetem, eumque cautè ac sensim magis, ut licere intelliges, magisque admoveas, ne fortè ferrum arctiùs hærens, necdùm tempestivâ tractione ejus, cui infixum est, partis dolores augeat». (*d*) Eruncandis paleis oculo infixis parûm opitulatur *succinum*. . . . Globosæ moleculæ, quales lapilli cancrorum aut salviæ horminum semen unum palpebras & bulbum interposita, crebrâ volutatione aliud corpus invitè illapsum sæpè ab adnata avellunt, foras eliminant. (*e*) Qui itinerantur sub atmosphærâ pulveru-

bustio, vulnera plùs minùsve gravia (*f*), cataractæ operatio (*g*), oculi fric-

---

lentâ larvas oculis vitreis armatas induant. (*f*) Si ab oculi vulnere, contusione, cruoris intrà cameras oculi fiat effusio, illud accidens dicitur *hypæma* quod etiam à puncturâ iridis, ut in operatione cataractæ quandoque contingit, à tussi vehementi, vomitu, nisu parturiendi, &c. oriri potest. In hypœmate, si pupillam obstruat sanguinis trombus, qui nullatenùs resolvi possit, tunc adest *synizesis spuria* seu pupillæ obturatio quæ alias à glebâ mucosâ aut purulentâ originem trahit, &c. Post vulnera corneæ accidit subindè prolapsus iridis; hæc uveæ hernia nomine *ptosis* per ulcus corneæ fieri quoque potest. Recensitis accidentibus subjungenda *sinechia*, seu iridis concretio cum corneâ aut capsulâ lentis christallinæ, huic ansam ordinariè præbent aut corneæ collapsus post jacturam humoris aquei, aut ptosis, hypopyum, &c. (*g*) Post depressam etiam sed multò frequentiùs post extractam cataractam oboriuntur opht[æ]. ; ab operatione intempestivè susceptâ, extractionis repetendi sunt infausti successus: quare circumstantias instituendæ operationi inopportunas & ex *Stolio* pro maximâ parte depromptas hìc transcribere juvat: hæ utinam, velut venerandi praxis circumspectæ canones, oculistarum memoriæ, quibus (proh luctus!) solis plerùmque committuntur ægri, altè maneant repostæ! at id hominum genus, plerique veri agiatores, cùm nihilùm aut perparùm artis medicæ calleant, medicos, quos non fugit epidemiæ regnantis, cœli ægrique constitutionis, tempestatum etiam ratio composita, sedulo abarceri curant.... Utplurimùm infelix est extractionis exitus, ubi rheumaticus vel arthriticus dolor alicubi ægrum vexat, ubi tumor genarum, aut cephalea, aut hemicrania temporumve dolor affligit, aut frequens opht[a]. vel eresypelas aliudve exanthematum genus sæpè recurrens, aut dentium & gingivarum prava conditio, aut ozœna, aut catarrhus, tussis longa, vomitus vagus; ubi pustulis herpetibusve obsita est facies, aut alterutra cornea opacari incœpit, aut oculus vasis sanguineis amplioribus aut varicosis perreptatur, aut laborat æger morbis convulsivis, v. g., hystericis, epilepticis, quorum frequentes insultus, tetanum oculi * nystagmumve ** habeant comilitones (* id est spasmodicam constantemque musculorum bulbum moventium contractionem. ** Id est convulsivam seu invitam bulbi agitationem) aut alvus constricta, aut humorum vitiata crasis, tandem in genere tempestatibus quæ phlogosi favent, & quibus caput potissimûm impetitur. . . . . Aliundè depressio extractioni præferenda est; 1°. si ægrotus nictitatione palpebrarum vel bulbi convulsione laboret; 2°. si oculus nimis profundè in orbita locetur; 3°. si cornea nimis plana ut in præsbytis est; 4°. in infantibus qui nec oculum nec caput in requisitis pro operatione, quiete & situ servare possunt. *Plenck.*

Quibus amaurosis, aut glaucoma vel synchisis adest, iis depressio extractiove frustrà instituerentur. Nunc verò quibus extrahenda cataracta, aptum corpus reddatur operationi subeundæ, quare sistatur *præparatio* quæ morbos actua-

tiones improbæ (*h*). Hic etiam locum habent aliæ causæ procatarcticæ, in oculos immediatè neutiquam agentes, penes quas tamen est ophm. sicut & alium quemcumque morbum arcessere; ergò varia peccata in sex rebus non naturalibus, anni quoque tempestates, cœlique constitutiones non immeritò accensebimus.

7. Ophthalmia vario modo ad exitum vergit, aut generatim resolvitur, aut è contrà sibimet adjunctis gravioribus symptomatis intenditur, tunc oculi capitisque dolores pulsant, noctes redduntur insomnes, &c. intereà bulbus aut rumpitur, aut pus colligit, aut horribili fato schirrosum cancrosumve induit habitum; inflammatio pus colligendo, abscessus aut ulcera facit.

---

les avellat, imminentes avertat; quoàd prophilaxim sanguinis missio & diæta universim celebrantur, *observatis observandis*, itaque si habitus ægri sanguineus, athleticus, anni tempestas, cœli constitutio, dispositionem inflammatoriam profiteantur multam, tunc sanguinis major copia detrahenda; quando cacochylia in genere primas vias inquinat, hæc tantò citiùs everrenda quantò majores testatur minas epidemia regnans : (etenim, ut vidit *Stoll*, in constitutione rheumaticâ *originis gastricæ*, si quæ pars corporis antea imbecillior aut malè affecta fuerat, in eâ potissimùm figebatur *rheuma*; sic oculus quocumque illabente pulvere aut vulnere inflicto irritatus, rheumatis evadebat sedes eâ ratione ut irritatio febrem rheumaticam invitasse videbatur, & febris ophtm. induxisse.) Si nulla prævaleat dispositio morbosa; attamen hinc & inde serpat morbus *communis*, ea estote prophilactica auxilia, quæ levissima, epidemiæque pericula minuant. « Præstat, inquit *Stoll*, in nosocomiis separato cubiculo committere, cui lentem volueris extrahere; inter alios enim ægros decumbentes, aëre vescuntur immundiore, & in febres tunc epidemicas faciliùs labuntur. » Denique si generalis humorum crasis alterata, anteà corrigenda est. . . . Procul, longè procul à praxi medicâ, præparationes illæ diuturnæ, vires hominis plerùmque sani perperam frangentes, quas instituunt oculistæ quidam, hi ex chirurgis præcipuè, hostem ignotum reformidantes arma quæcumque in usum vocant, quadrata rotundis miscent, sæpèque sæpiùs morbum, quo anteà immunes erant ægri, advocant. Istiusmodi oculistas meritò redarguit D *Pellier de Quengsi* mém. & obs. pag. 128, ipsemet redarguendus, ex eo quod tempestatis, constitutionis, epidemiæque regnantis nullam habeat rationem, solamque inter magna auxilia prophilactica sanguinis missionem salutare videatur, &c. *Stoll* « sibi videtur observasse eos quibus sub extractione aliquid humoris vitrei effluxerat, ab inflammatione tantoperè metuenda magis fuisse immunes. » (*h*) Infantes nosocomii generalis Monspessulani, *olim* lana sibi oculos confricabant, ut subortâ opht. labore vacarent. Vide synopsim morb. oc. coll. th. tom. 14, ex Sancti Elosii nosocomii Monspessulani bibliothecâ, quam solam & rarissimè quidem in usum suum vertere, *præclaris mihique carissimis Medicinæ studiosis* datur.

(*a*) Hyopium est puris collectio, quæ intrà cameras oculi fit, prægressam iridis inflammationem, aut abcessum ulcusve corneæ, arguens. Hypopium visu patet, ni cornea staphilomate obsideatur, aut alio modo penitùs opaca evaserit. Apparet liquidum albidum, mobile (*b*) mediam vel totam oculi cameram occupans, iridem plùs minùsve abscondens, visum pro parte, vel integrè obscurans. Pus interdùm adeò coacervatur ut exophthalmiam, aut oculi rupturam cum fragore producat: aut resorptione impeditâ, mora & calore acrius factum corneam exedit, subsequente humorum prolapsu (*c*). Qandòque pars tenacissima puris, capsulæ christallinæ accrescit, ad instar membranæ crassæ, & sic dictam *cataractam purulentam* efformat. Apud hos synyzesim spuriam aut synechiam causat, apud illos oculi fundum petit & dissoluto humore vitreo, *atrophiam* bulbi *purulentam*, seu phthisim inducit.

Fiunt aliæ puris collectiones inter adnatæ aut corneæ lamellas; adnatæ abscessus, si sit superficialis, ex tumore circumscripto in ejus superficie extante dignoscitur, si sit profundus, partialis adnatæ non deprehenditur protuberantia, in hoc casu non aliter quam ex præsente & prægresso inflammationis statu, abscessum conjicere possumus, *Gendron.* Pus quandòque colligitur intrà papulas, quæ suprà corneam aut adnatam elevantur (*d*). *Onix*, id est, abcessus corneæ (*e*) maculam albam fluctuantem præbet, aut superficialis est & facilè evanescit, aut profundè inter lamellas corneæ hæret, tunc introrsùm aut extrorsùm rumpitur, si priùs hypopium facit, si posteriùs corneæ fistulam relinquit (*f*). Alias pus exsiccatur & in *leucoma* abit (*g*)

(7) (*a*) Hypopium non est semper inflammationis effectus; nam ipsius quandoque evadit causa: sic hypopium à metastasi oritur, sine prægressâ opht.ª, ipsam è contrà inducere observatur. (*b*) Non solùm in hypopio ponè corneam adparet, liquidum album, &c. sed præthereà in hypogala apud puerperas, sub depressione cataractæ lacteæ; vix enim incisâ per acum capsulâ, ab effluente liquido albo, illico albescit humor aqueus. (*c*) Vulgò mitescunt, facto pure, inflammationis signa; at plerùmque non ita se res habet in opht.: pus enim hypopii aliorumque abscessuum, insigni acredine sæpiùs donatum, inertiâ contineri nequit, aut humorum oculi corruptelam molitur, aut corneæ vel adnatæ lamellas erodit; &c. Tunc longè abest ut remittat inflammatio, è contrà intenditur, vel saltem eodem tenore habituque perseverat. (*d*) Post extractionem cataractæ, ubi deligatur oculus, maximè cavendum est ne introvertantur cilia: irritatæ corneæ insurgunt *papilluæ* quæ pus colligunt nique citò aperiantur, formidabilem acciunt inflammationem *Pellier de Quengsi.* (*e*) Onyx ab hypopio facilè distinguetur, si totam corneam non occupet, & ponè illam conspiciantur iris & pupilla. *Gendron.* (*f*) Fistula penetrat vel non: *penetrans*, dignoscitur stylo, effluxu humoris aquei, subsidentiâ corneæ, &c.; non *penetrans*, corneâ non collapsâ, &c. (*g*) *leucoma* est macula corneæ, penitùs opaca, non fluctuans, immobilis, &c.

ulcera

ulcera corneæ & adnatæ, aut immediatè ab inflammatione prægressa, aut ab abscessu disrupto oriuntur, aut phlictenas, pustulas acrimonia humoris circà oculos depluentis prognatas, excipiunt; ulcera ex pustulis habentur pessimi moris; generatim adnatæ rubedinem, corneæ albedinem impertiunt Corneæ ulcus, nomine *helcoma* in internâ vel externâ ejus superficie sedet, in posteriori casu aut brevi evanidum citò coalescit vestigia parùm luctuosa relinquens, aut diuturnum & pertinax sanatur tandèm, at inductâ deformi cicatrice, visum plùs minùsve impediente, aliàs erosis omnibus corneæ lamellis, humoribus patulam præbet viam, globumque pessundat.... Ulcerationem tarsorum, ab acrimoniâ lacrymarum erodente, aut pure iis applicato vel propriâ inflammatione oriundam, necquicquam prætermittimus, ut potè quæ, anchyloblepharo vero occasionem præbere valeat, præsertim si palpebræ ex tumore proprio coeant.

Rarissimè schirrus, rariùs adhuc cancer ophthalmiam excipit, at tunc de oculo conclamatum est, illiusque extirpatione miserrimæ ægrotantis saluti consulitur.

Gangræna sphacelus vix unquàm observanda, oculi carbunculum peculiarius sequi visa sunt, &c.

8. Ophthalmiam solvunt in genere aut resolutio quam dicunt *benignam*, aut metastasis, hæmorrhagia quæcumque, sudor, alvi fluxus, &c. (*a*) Hæ potissimùm ophthalmiæ quæ eruperant subsistente consuetâ hæmorrhagiâ, hac revertente solvuntur; diuturnam aut habitualem ophthalmiam, à mensibus suppressis oriundam dignosces, ex eo quod quâlibet solitâ mensium periodo revertat aut exacerbetur; solutioni quoque confert sanguis è naribus aut è canthis oculorum scaturiens, &c. Multùm etiam prodest, alvi profluvium sivè spontè natura motum (*b*), sivè pharmacis excitatum.

Metastasis fit cum bonis ægri rebus, vel malis prout morbus ophthalmiam excipiens, ipsâ mitior est aut gravior; *pronus est materiæ ab oculis ad pulmones decubitus*; attamèn mala est dyspnea ex ophthalmiæ metastasi, & phthisis metuenda. Resolutio benigna obtinet, ubi denegato alio solutionis modo, symptomata mitescunt, & omnia in statum naturalem reducuntur; universim solutiones quæcumque haud ritè succedunt, ubi alvus à longævo constricta est.

9. Quædam ad prognosim præstantia jam delibavimus, alia ubi de causis ophthalmiæ materialibus quæstio erit exaremus, pauca nunc attingemus.

---

8. (*a*) Oculorum dolores meri potio aut balneum, aut fomentum, aut venæ-sectio, aut medicamentum purgans solvit. *Hip.* § 7, aphor. 6, § 7, aphor. 31. (*b*) Lippitudine laboranti, alvi profluvio detineri bonum. *Hip.* de jud., § 2, p. 56.

Oculus ad vitam nihil facit, ſed ad beatam vitam nulla pars facit magis, *Boerrhaave.* Nullus itaque ophthalmiæ bonus exitus, niſi reſolutio in genere, reliqui ut ſuppuratio, gangræna &c. *videndi aciem* aut turbant aut perdunt ophthalmiæ fluxu acrimonioſo ſtipatæ, peſſimæ ſunt, diuturnæ enim aut frequentes, plerùmque corneæ ulcera, cicatrices inducunt, &c. Quæ ſuccedunt poſt graves contuſiones, ſugillationeſve oculi aut extractionem cataractæ, ſæpiùs ſuppurantur; ſi ſuppuratio oculi perduret, indè membranæ oculi deſtruuntur aut pelluciditas perit: minùs diſcriminis ex abſceſſu adnatæ oculo impendet quàm ex hypopio vel onyce. Raró curatur gravis ophthalmia, quin diù maneat obſcuritas ſeu opacitas corneæ *Boerrhaave.* Bonum eſt in decurſu, pallere oculos, & dolorem ad lucem minui; diuturnas ſubſequitur quandòque *pterygium* ſeu expanſio menbranacea, quæ ſenſim per corneam, versùs pupillam increſcit, & videtur eſſe prolongatio adnatæ, &c. Apud pueros & ſenes pertinaciſſimæ ſunt, inveteratæ raró ſunt ex integro curabiles, ſuperveniens febris eas ſubindè ſolvit.

10. Princeps, ut ſuperiùs dicebamus in ophthalmiæ curatione, canon eſt, ut inflammatio reſolvatur in genere; nam cùm in aliarum partium inflammationibus ſæpè numero vel reſolutio, vel ſuppuratio iis ſanitatem reddat, hìc ſola reſolutio eſt ſalutaris, ſuppuratio veró plerùmque perniciosa: reſolutioni ergò faveat ars naturæ auxiliatrix mediis extùs aut intùs admotis. Auxilia topica ſiſtit, duplex ordo medicamentorum relaxantium nempè & repercutientium. In eorum uſu, omnis periculi vertitur cardo, ne ubi relaxantibus opus eſt, repercutientia, & viciſſim, adhibeantur. Dixit *Hoffmannus* « plures viſu » privari ex imperitiâ applicandi topica, quàm ex ipsâ morbi vi & mag- » nitudine. » At hæc imperitia verſatur potiùs circà intempeſtivam topicorum applicationem *(a)* quàm ipſorum dotem ignotam; undè non rectè legitur

---

10. *(a)* Unde D. *Sims* de aſtringentibus. . . . « qu'il ſeroit avantageux de pouvoir connoître par des ſignes certains, quand il eſt à propos de les appliquer! car l'intervalle du temps qui s'écoule avant l'inſtant où leur application devient utile, varie prodigieuſement chez les différentes perſonnes attaquées de cette maladie: les Auteurs ſyſtématiques, il eſt vrai, rendent tout cela très-clair ſur le papier, je ne crois pas moins qu'il n'y a qu'un Praticien habile & exercé, dont le coup-d'œil puiſſe ſaiſir cet inſtant ſi difficile. »

Sic præpoſteræ ſunt adſtringentium applicationes, nocent aut nihil proſunt prout citiùs aut tardiùs fiunt. *Citiùs*, ubi ſpaſmi prædominantur, aut phlogoſis in ipſo vigore eſt: tunc opht. intenditur, cauſæ ſuppurationis augentur, vel oculo ſchirroſus inducitur habitus. *Tardiùs*, ubi ſemoto ſpaſmo vel phlogoſi, vaſa ita dehiſcunt ut ampliationem quaſi varicoſam conceperint, & in genere adeo relaxentur ut reſtitui neſcia morbum pertinaciſſimum, omniaque reme-

apud *le Dict. de l'Acad.* (*b*). Fatendum cum D. *Sims* (*c*) in ophthalmiæ curatione quosdam Agyrtas Medicis feliciores fuisse ; illud non adeò mirum videbitur, si attendamus horum hominum auxilia tunc posci, ubi jam in diuturnitatem abiere ophthalmiæ, harumque causæ humorales, &c. à Medicis aut temporum successione jam debellatæ fuerunt. At hodiè palma pro Medicorum parte stat, tempore ab hoc, quo morbis oculorum peculiarem attentionem dedere, inter ipsos ill. viri *Plenck*, *Trnka*, &c. *Relaxantia*, in chemosi incipiente, taraximve insequente conducunt ; ubi impacta circâ oculos materies morbifica in circulum reduci nequit, ipsiusque resolutionem molita est natura, cujus activitas nunc temperanda, nunc mediocriter instiganda est ; in hoc auxiliorum ordine occurrunt « emollientia aquosa, mucilaginosa, cum mitissimis salibus incidentibus, resolventibusque, lenissima insuper stimulantia, roborantia, & interdùm subastringentia, ita ut, quò inflammatio major est, eò horum posteriorum ad priora proportio sit minor, & prout inflammatio remittit, ita eorumdem proportio ad priora prudenter sensim augeatur, imminutis è contrario prioribus, donec inflammatio ad eam fuerit redacta levitatem, ut ei altera resolutionis methodus per repercutientia tutò applicari possit. » *Trnka. Emollientia* pro vasis laxandis, dolore mitigando, acribus lacrymis aliisque stimulis obtundendis inviscandis, siccitate levandâ, &c. Horum usui remittente inflammationis vehementia haud justo diutiùs insistatur, ne laxatâ bulbi compage, ipsum ad recidivas disponant aut morbum pertinacem reddant ; inter emollientia eminent, lac muliebrile, mucilagines psyllii aut cydonii seminum, malvæ altheæque flores & folia, sambuci flores, sanguis columbinus, ovi albumen, &c. Inter *stimulantia* quæ lenissima sunt & dolorem nullatenùs creant militare videntur vapores blandè discutientes ex aquâ tepidâ, floribus emollientibus, ruta, crocus, camphora, aqua rof. rubr., opium, aquæ thermales, &c. Ad *attenuantia* quæ fluidorum lentores paulatinè fundant & vim vitæ leniter exacuant, pertinent salia neutra mitissima, acida vegetabilia multum diluta, pomi acido-dulcis cocti vel putridi pulpa, hydromel, valeriana off., hyssopus, murias ammoniacalis (*d*).

Repercutientia conducunt in ophthalmiis recentibus aut antiquis, dùm inflammationis modus est lèvis, absente natabili tumore, dolore, & febre.

---

dia eludentem reddant. (*b*) Rien n'est moins éclairci que l'effet de la plûpart des topiques que l'on applique aux yeux : les Praticiens sçavent qu'on donne là-dessus, plus au préjugé qu'à l'observation, » art. opht. (*c*). . . « & je ne sache pas maladie où les Charlatans aient montré plus de supériorité sur les vrais Médecins que dans celle-ci. » (*d*) *Synonyma* ; sal ammoniacum, mu-

Hic accedunt tonica valentia &c. qualia, alchool (*e*) purum aut camphoratum, arnicæ corticisve decoctum, vinum, aqua frigida, plantaginis aqua. *Siccantia*, *abstergentia*, *resolutiva* fortiora, quæ maculas, obscurationes dissipant ulceribus limites, cicatricem obducunt, ut ut, caustica dilutissima, boratis (*f*), hydrargiri dulcis muriatis (*g*), aluminosi-sulfatis (*h*), zinci-sulfatis (*i*), pulvis aut dissolutio, carbonas ammoniacæ (*k*), præparata antimonialia saturnina (*l*), piscium inprimis mustellæ fluviatilis aut lucii piscis fel (*m*). *Adstringentia* fortissima quæ vasa potenter constrigendo, ipsa ad tonum pristinum redire vi, ut ita dicam, cogunt, qualia sulfas aluminosus glacies, sulfas zinci, oxidum zinci sublimatum (*n*).

Ex medicamentis enumeratis variæ formulæ conficiuntur quæ simpliciores sunt optimæ haberi debent, procul rejicienda illa topica ex immensâ medicaminum farragine confecta, permulta enim quæ heri in famâ erant, hodiè oblivioni mandantur, nova quæ conduntur sors eadem manet, licet ipsa tanquam *arcana* decantent, inventores quicumque, ut sub fuco mirabilis inauditi, inexpertes populi captent animos.

11. Circà regimen diæteticum, prima omnium sunt corporis animique

---

riate d'ammoniaque. (*e*), spiritus vini, alcohol. (*f*) boracis, borate. (*g*), mercurii dulcis, muriate de mercure doux. (*h*) aluminis sulfate d'alumine. (*i*) vitriolum album, sulfate de zinc. . . . Vitriolum viride, seu sulfas ferri, sulfate de fer, ad albedinem usque calcinatum, id est usquequò suæ crystallisationis aquam amiserit, in foro Medico dicitur quoque *vitriolum album*; attamen non indifferenter confundi possunt hice zinci & ferri sulfates, seu vitriola alba; eàdem enim dosi usurpati diversos effectus sortiuntur, nihil autem de horum dosibus pertentare audebimus, donec codex de quo nunc agitatur inter Professores, aliosque Monspelii Medicos, quemque sitiunt omnes suæ artis amantes, pharmacopolis immutabilem conficiendi medicamenta præscripserit normam, v. g., determinaverit quid ponderis sub exsiccatione aut ulteriori calcinatione deperdere debeat, aluminæ aut ferri sulfatis *crystallisati* data quantitas, &c. ut &c. (*k*) Sal volatile cornu-cervi, carbonate ammoniacal. Vid. méthode de nomenclature chimique par MM. *de Morveau*, *Lavoisier*, *Bertholet* & *de Fourcroy*. (*l*) An præparata saturnina sub formâ collyrii aut fuci adhibita, *colicam saturninam* inducere valeant observatio non statuit. (*m*) Ne ullâ æquivocatione suffundantur, horum piscium nomina vid. hist. pisc. D. *Gouan*. . . . prior, cl. malacopterygius, ord. jugularis, gen. gadus, sp. respectu lota. . . . La lote; Posterior ex eâdem classe, ord. abdominalis, gen. esox, sp. lucius. . . . Le brochet, dicitur. (*n*) Flores zinci, tuthia, oxide de zinc sublimé; attamen tuthia à floribus zinci aliquantulùm differre videtur in eo quòd zinco in tuthiâ aliquæ plumbi puri aut *oxidati* misceantur moleculæ, & minor oxygenii combinetur quantitas.

quies, ab ægrotis arceantur pathemata quæcumque humores versùs encephalon urgentia, ira inprimis & tristitia quæ lacrymas provocant & magnas in abdomine turbas cieunt. In chemosi tenuior sit ratio victûs, refrigerans, temperans &c., non magis in quantitate, quàm in copiâ peccetur, vitetur omnis victus aromaticus salitus, & alia cujuscumque generis, quæ sanguinem accendunt, humorum motus accelerant, aut alvum constringunt. Si ophthalmia diuturnior, in vetustatem incidat, multùm à primo diætæ rigore remittendum est, viribusque magis consulendum. « Qantùm, inquit *Celse*, inflam» mationi detrahetur, tantùm adjici cibis poterit, sed generis ejusdem, » utique ut nihil salsum, nihil acre, nihil ex his que extenuant, sumatur, » nihil potui præter aquam »; attamen interdùm vino indulgere non est insalubre. Æger in obscuro loco degat, cubiculum ipsius ventiletur, auram puriorem haurire, frigidissimam vitare, in frigidiuscula versari ipsi præstabit. Stimulus quivis externus ab oculis removeatur, fumi lucis præcipuè, dolorem enim vividum admissa lux in oculos inflammatos excitare solet, imò ipsam inflammationem, ad exitium usque oculorum intendere est observata. Hinc curandum est, monente *Boerrhaave*, ut dolor à luce productus toto curationis tempore caveatur. « Plerùmque diù satis post inflammationem dissi» patam tanta oculi remanet sensibilitas, ut lucem vix ferant ægri, parùm vel » confusè videant in loco lucido meliùs in obscuriori. Indè aliquandiù in loco » obscuriori versentur ægri, vel oculum peplo tegant, ut sensim admittatur » lux ad oculum, sensim illi assuescat oculus. » *Richter* apud *Trnka*, &c.

12. Jam prælibatâ ophthalmiæ historiâ generali, nunc ipsius instituendæ thereapeuticæ divisioni operam navemus, hanc, quæ variam medendi methodum illustrare valeat, solummodò salutari. Itaque quot causæ materiales, diversæ medelæ submittendæ, atque à simplici solidorum, humorumque vitio repetundæ, oculos inflammare queunt, tot divisionis extabunt membra; non ad *apparentes levesque causarum differentias attendemus*, *dummodò curationis ratione proximè conveniant*; curationes, *enim*, morborum naturam ostendunt *Hip.* & vice versâ, concursus phœnomenorum & circumstantiarum tali causæ materiali vulgò annexus, huic admovendam methodum curativam ostendit; undè à posteriori curationis identitas morborum identitatem, hujus diversitas istorum diversitatem monstrat, &c. Ecce, fusiori loquelâ, subsequentis divisionis fundamentum, de quo vide *Stoll*, *Selle*, *Weisz* & theses ab aliquot annis in hâc augustissimâ Aulâ propugnatas. Ut jam dixi, agam tantùm de causis materialibus in statu simplicitatis; causæ procatarcticæ, quæ materiales in genere exsuscitare possunt aut ad varios stimulos oculis admotos, aut miasmata quæcumque, aut temporum varias constitutiones, demùm ad errata in sex rebus non naturalibus commissa, referenda veniunt vide n. 6. ophthalmiam igitur causæ materialis

ratione in nervosam seu sine materiâ, vel humoralem sive cum materiâ dispescimus; *nervosa* subdividitur in spasmodicam & atonicam; *humoralis*, humoris peccantis ratione, in phlogisticam seu sanguineam, in biliosam & pituitosam. Horum humorum jam vitiata crasis ad altiorem degenerationis gradum evehi potest, tuncque putridas procreat ophthalmias, &c. Spasmus seu virium excessus universalis est aut particularis, prout toti organorum compagi impertitur aut huic solummodò parti insidet. Licet particularis evolvatur, sub eâdem causarum impressione, quâ universalis, cum eâ autem dissimili ratione, ut, in productione illius organo peculiari, istius verò toti corporis habitudini, ipsarum actio impingatur, attamen sub diversâ temperamenti conditione exurgere potest. De ophthalmiâ quæ *hypertoniæ* universalis symptomatibus accensetur, verba non faciemus profusiora quam de spasmodicâ per consensum, quæ deprehenditur, ubi ex aliâ parte in oculos irradiatur spasmus, hanc promovent, difficilis dentitio, caries dentium, spasmi abdominis quales obtinent, in hypocondriacâ, hystericâve affectione, in hypercatharsi, post ingesta acria, &c. talis ophthalmiæ curatio, ablationem stimuli sympaticè agentis exigit. Nunc quæstio sit de

Ophthalmiâ hypertonicâ (*a*) *idiopathicâ* (*b*).

13. Huic ansam præbent lucubratio immodica haud habitualis, lux nimia insolita, stimulus externus oculis inhærens, vulnus ipsis inflictum, cataractæ operatio, frigus admissum, acriora illita, &c. observatur potissimùm in juventute & virilitate, tempestate hiemali, vernâ, cœli constitutione siccâ, ventisque frigidis perflatâ: his prægressis, de causâ spasmodicâ non ampliùs dubitandum, si aliæ causæ negentur indicia. In parte affectâ proferuntur symptomata n. 1. qualia in taraxi, dolor paululùm acutior, &c. Febris nulla, aut si adsint motus febriles, continui sunt vel intermittentes, in ultimo casu inflammatio, aut simul cum febre prorumpit, aufugitque, aut continua exacerbatur, dùm accessus intercurrunt..... Huic ophthalmiæ methodus medendi relaxans esse debet; quæcumque invigorantia, topica præsertim, ipsam mirum in modum exasperant, & induendo veræ inflammationis genio pro-

---

(*a*) D. *Coray* synopsis pyret. Monspelii propugnata. (*b*) Hic referenda opht. quam sic depinxit *Hipp.* « quibus (inquit ille, de doloribus sine febre loquendo) visus caligat & rubor quidam in ipsis oculis fit cum quâdam frontis prurigine eos juvat sanguis suâ sponte aut necessitate profluens, atque hic modus simplex est. » &c. Prædic. l. 2, p. 108. . . . . . « Oculorum dolores exhibitâ meri potione & *copiosæ aquæ calentis balneo*, *venæ-sectione curato.* » § 7, aphor. 46.

niorem reddunt, ſiquidem, cæteris paribus affectio localis hypertonica habenda eſt in genere, tanquàm *primus greſſus partis ad inflammationem properantis. Weiſz.* Th. cit. D. *Coray.* Antequàm removeatur ſtimulus externus, ipſo concitata ophthalmia finis neſcia eſt, nec tali ſemota irritationis cauſa ſemper diſſipatur, ſiquidem ſpaſmus protrahitur aut ceſſat: in primo caſu ſpaſmus altè infixus ad inflammationem eſſentialem accelerat, aut aliam humoralem cauſam arceſſit. In ſecundo, ophthalmia ſpaſmuſque ſimul ceſſant aut ipſum excipiente atoniâ, ſuperſtiti ophthalmiæ toto cœlo oppoſita inuritur indoles.

Ad compeſcendos dolores, ſomnumque conciliandum intùs ſuſcipiatur opium, ſed cautâ manu; diæta ſit tenuis, temperans; libertas ventris ſervetur; ſanguis miſſio revulſoria longè à parte affectâ inſtitui poterit; oculi balneationes, pediluvia, ſemicupia, frictiones in partibus diſſitis conducunt, topica ex emollientibus deſumuntur; at ab ipſorum diuturniori uſu caveatur, ne præproperanter difflato ſpaſmo, altera inſurgat ophthalmiæ cauſa, atonia ſcilicet. Si ſub ophthalmiæ larvâ delitеſcat febris intermittens, tempore acceſſûs admovenda prædicta topica, & ceſſatâ exacerbatione adhibendum kinakina, eò majori doſi quò vehementiùs intendebantur ſymptomata, &c. Hìc pertinent rheumatiſmi periodici, cortice ſanati. *Stoll.*

De Ophthalmiâ Atonicâ.

14. Atonia ſeu virium imminutio ſubit eamdem diviſionem ac hypertonia, in univerſalem & particularem. De particulari ſolâ mentio erit. Sub hoc reſpectu *Radicalis* eſt, id eſt cauſa primaria ophthalmiæ; vel *ſequela*, id eſt cauſa ſecundaria, adventitia, ophthalmiam ſpaſmodicam humoralemve excipiens, hancque protendens. Radicalis ophthalmia rarior eſt ſequelâ: ipſam inducunt lucubratio immodica ſæpiùs repetita, lachrimatio diutiùs protracta, &c., abuſus emollientium, aura noctis humida, pollutiones frequentiores, &c. Deprehenditur potiſſimùm apud ſenes, infantes, ſequiorem ſexum, tempeſtate æſtivali, autumnali, cœlique temperie calidâ & humidâ. Sequela frequentiſſima eſt: pleraſque hypertonicas excipit. Hæc mutatio cauſæ dignoſcitur, tùm ex diuturnitate inflammationis, tùm ex remiſſione doloris. In genere ſymp. localia n°. 1, qualia in taraxi, dolor obtuſus, vix ſenſibilis aut ſolummodò pruriginoſus, &c. Atonia quandoque adeo profundè ſita eſt, ut ophthalmia diuturniſſima evadat, ectropiumque accedat, &c. Cura ex adverſo oppoſita inflammationis hypertonicæ therapeïæ, ſiſtatur. Frigidis, adſtringentibus, tonicis quà extùs quà intùs admotis abſolvitur. Roborantibus externis, topiciſque adſtringentibus, non æquè indulgendum in ſequelâ ac in radicali, ne prægreſſus ſpaſmus iterùm exſuſcitetur; plerùmque enim topica

diversa absque successu adhibentur, quia alternationem causarum producunt. Febris vix ulla unquam aut parùm sensibilis, &c. Si notescat febris intermittentis connubium, finito paroxismo, usurpandum kinakina eodem modo ac jam supra innuimus. In ophthalmiâ inveteratâ, ubi vasa turgent admodùm, &c., præstat sanguisugas admovere sanguinis suctionem excipiente topico adstringente; id genus curandi à *methodo perturbatrice* D. de *Barthez* proximè abest: sanguisugæ expediunt vias, advocant motus, quibus finem adimplendum indicant adstringentia; in hujus-ce modi casu prosunt quoque scarificationes, &c.

Causæ de quibus egimus, simul unitæ, tertiam statuunt, quam vocant *mixtam*, an hæc sui juris peculiares faciat ophthalmias, silebimus, donec incedat ampliore observatione, auctoritateve suffulta, attamen non inficias ibimus, observari alterutrius causæ prædominium alternativum, cui obviam itur cum emollientibus maritando tonica, & vice versa, præpediendo itaque ne, isti causæ vividiùs impugnatæ altera opposita succedat, ut jam diximus.

De Ophthalmiâ eminenter inflammatoriâ seu phlogisticâ.

15. Phlogosis generalis est aut particularis, prouti totam humorum massam vel organi peculiaris substantiam obsidet. Particularis separatim occurrit vel simul cum universali; sub illo duplici existendi modo, ophthalmia sese offerens, eidem therapeiæ subjicitur; attamen à generali sejunctam phlogosim particularem, quatenùs oculis affixam considerare lubet. Phlogistica sub eâdem causarum occasionalium conditione oritur ac spasmodica, inter quas, plethora, solitæ evacuationis, hæmorrhagiæ præsertim suppressio recensendæ veniebant, &c. Dicebamus itaque, spasmum diutiùs protractum abire in phlogosim, quæ dominatur fine hiemis initioque veris, cœli constitutione frigida & sicca apud juvenes florentes athleticos, qui victu aromatico, liquoribus spirituosis abutuntur, lautisque epulis semper gaudent. Symptomata n. 1. qualia in chemosi, eò vehementiora, quò latior & altior inflammatio, dolor vehemens, calor, ardorque insignes, scheroma, &c. Inter alia signa causæ materialis, jam perpensa ratione causarum præcedentium & temperamenti ægrotantis, sese præbent, vires consistentes, alvus astricta aut parca, sanguis crustâ phlogisticâ obductus, natura epidemiæ regnantis, febris pulsu vivido, frequenti, duriusculo insignita, horis matutinis invadens, continentem, continuumve servans typum, urina rubra, cutis sicca, sitis ardens, calor urens, facies rubra, &c.... Solvitur morbus hæmorrhagiâ, sudore, rarissimè alvi profluvio, &c. curationem adimplent, diæta tenuissima, sanguinis missiones pro rei necessitate repetitæ, diluentia, refrigerantia,

balnea tepida in genere; toto morbi decursu, libertatem alvi clysmatibus servare, etiamque declinante coctionis stadio laxativa adhibere prodest. Topica emollientia, &c. Si phlogosis expresse exaretur, coctionis legibus permittenda est, solâ naturæ actione subigenda; tunc ipsam ex adverso impugnare non ampliùs valet venæ-sectio, itaque morbi initio dumtaxat usurpanda, ni aliundè præter modum urgeat indicatio vias expediendi & refrænandi humorum exhorbitantem motum. « Ab initio, inquit *Boerrhaave*, » sanguis mittendus est, cùm id posteà fieri non possit, inflammatione » enim ad suppurationem nunc dispositâ, oculus jam perditus est. »..... In majori ergo inflammatione, quandò rubor & dolor ingens premunt, differendæ non sunt sanguinis missiones, quandò enim primis 3 aut 4 diebus negliguntur, suppuratio supervenit & actum est de oculo; attamen ultrà 4 dies, consuetumve aliarum inflammationum terminum, ophthalmiæ profertur cruditas. Vide n. 3. nec timendum est ne tardiùs celebrata venæsectio, inutilis sit aut noxia semper, ipsomet contrarium exemplum ministrante *Hip.* Ani, vulvæque venis applicatæ hirudines, sæpè omnem aliam sanguinis missionem efficacia superant, ubi ophthalmia suppressum aut hæmorrhoïdum aut mensium fluxum est consecuta.

De Ophthalmiâ gastrico-biliosâ.

16. Colluvies biliosa generalis est, id est totum systema vasculosum inficit vel gastrica (*a*), id est in primis viis hæret, vel organa alia peculiaria afficit, hic accedunt affectiones topicæ consensuales aut immediatæ, quas omnes, sub quocumque explicandi modo, considerabimus quatenùs proximè cum vitio gastrico nexas, siquidem therapeiæ cardine penè eodem volvuntur. Sic ophthalmia consensualis dicitur, ubi à bile in primis viis stabulante oritur, idiopathica si à bile resorptâ vel in secundis viis formatâ, at circà oculum irretitâ nascatur. Gastricam consensualem dùm adhuc simplex est, nec cum phlogosi consortium inivit, ad spasmodicam per consensum revocare potuissemus, ni stimulus gastricus humoralis universim, quamplurimarum affectionum localium causam generalem statueret, ni prætereà id genus causæ complicationi ita pronius esset. Agitatur an omnes affectus, gastrico-biliosi dicti, à bile sympathicè vel topicè irritante sobolescant? Utrumque nobis, ut aliis multis à posteriori demonstratum videtur, syndrome haud prorsùs æquabili, levique therapeiæ modificatione:

16. (*a*) Colluvies gastrica est ipsamet affectio particularis idiopathica, quæ alias sibi plerùmque adjungit comites per metastasim aut per sympathicam irritationem.

etenim velut confenfualem refpicimus ophthalmiam, cujus curationem abfolvunt *evacuantia*, idiopathicam (*b*) ubi evacuantia proficiunt quidem, fed non fanant, ubi fcilicet expurgatis primis viis, alterantia intùs adhibenda & topica leniter ftimulantia applicanda funt, ut refolutionem biliofa caufa oculis impacta experiatur, bilofa caufa inquimus, ab atoniâ aut phlogofi, quæ protelandæ ophthalmiæ deftructo fomite gaftrico concurrunt, attente diftinguenda. Dignofcetur ophthalmia idiopathica, ubi expulsâ bile gaftricâ, motus febriles nulli aut faltem remiferunt, aliaque fymptomata, ut dolores capitis, epiphora, &c. non æquè intenfa aut non ita infigniter, ac anteà exacerbantur, &c. ubi phlogofis fubreptæ aut atoniæ abfunt figna.

Hanc ophtalmiam arguunt caufæ præcedentes, quales potiffimùm, æftas, cœli conftitutio calida & ficca, Zona torrida incumbens aut proxima, fexus potior, ætas virilis, animi pathemata (*c*), ira præ primis (*d*), victus calefaciens, alimenta fermentefcentia, poft cibos labores nimii & cibi poft iram citiùs ufurpati. Symptomata localia plùs minùfve intenfa, hemicrania fæpiùs è latere oculi affecti erumpens, epiphora quandòque acrimoniofa, &c. plerùmque nulla fui veftigia paroxyfmorum intervallo relinquunt. Corneæ obfcuratio, &c. intereà, appetitûs deffectus, lingua albo-lutea, tractus flavedinis ab alis narium ad labiorum commiffuras, guftus depravatus; nidulat autem faburra in ftomacho vel in inteftinis: *priori* cafu, amarities oris, capitis dolores vehementes ad compreffionem aliquantulùm allevati, naufeæ, vomituritiones, vomitus biliofus, præcordiorum anxietas, hypochondria dolentia, ad attactum aucti dolores in epigaftrio, in *pofteriori*, borborigmi, alvi fluxus biliofus, hypogaftrii lumborumve dolor tenfio, genuum gravitates, &c.: febris primò intermittens, dein remittens, horis pomeridianis invadit & exacerbefcit, urina lutea lateritia, fitis ardens, calor mordax, fudor acris, pervigilia, fubdeliria, &c. Hæc ophthalmia non periculofa eft, dùm phlogifticâ complicatione immunis eft, fluxiones enim æftivales à bile purâ fpontè aut arte citò diffipantur, *Stoll.* Sed quandòque abfque motu febrili fefe prodeft, tunc potiffimè chronica evadit, uno tenore aut creberrimo reditu diutiffimè perdurans, in hâc fymptomata localia exacer-

---

(*b*) Huic fpeciei accenfendus eft rheumatifmus fcorbuticus *Sydenhamii.* (*c*) Nulli dubitamus quin prædominio bilis apud viros, multùm quoque conferat jentandi dimiffa confuetudo; itaque non malè fibimetipfis confulunt viri quotidiè jentantes, fed fpretâ quantitate, pauca in finem vires fuas digeftivas fuftinendi fumentes. (*d*) Morbos biliofos qui fubindè iræ exæftuationem excipiunt, fanguinis miffione fpafmos in regione epigaftricâ debacchantes foluente, dein tonicis atoniam fpafmorum fequelam debellantibus præcavere

bationibus stato periodo (e) revertentibus quoque subjiciuntur, at causæ materialis signa parùm sensibilia deprehenduntur; sic obscurissima erant in ophthalmiis gastrico-biliosis aut pituitosis quas (cum ea intercalari differentia, ut biliosæ declinante die seu vespera, pituitosæ autem noctu provectiore, exasperarentur) in genere descripsit *Stoll*, p. 344. A gastrico vitio potissimùm bilioso repetendæ ophthalmiæ epidemicæ populares, quæ interdùm adeò communes evadebant, ut pro re *fidei* acciperetur ab affectis oculis, ophthalmiæ contagium sanis illabi, hominesque lippientem intuentes mox eodem malo corripi. Sic illecebrosi Poetæ implebatur effatum.

Dùm spectant læsos oculi, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

His accensendæ ophthalmiæ de quibus *Hip.* « ad lippitudinem annuam « ac populariter grassantem, capitis & inferioris alvi purgatio conducit (*f*) ». Et alio loco « primùm itaque lippitudines fluentes, cum dolore, humentes « & crudæ obortæ sunt, sordes in oculis concretæ (quas lemas vocant) » parvæ nec sine difficultate multis erumpebant, quæ cum plurimis reverm» tissent, tandem ad autumnum reliquerunt (*g*) ». Hic iterum innuitur temporum mutatione solvi morbum posse.

Solvitur in principio vomitu, aut in declinatione diarrhæâ aut cholerâ, &c. Ubi sursùm turget bilis, cura ab emeticis perficienda, aut inchoanda, licet ipsi veteres, in ophthalmiâ danda non censuerint. Sic *Hip.* aït « quod si subitò inflammationem concipiant, nihil omninò » illinito, sed vel fortissimo aliquo medicamento, quam maximè » infernas partes urito, vel alio quopiam alvum subducito & attenuato, » cautione *adhibita ne vomitum provoces* (*h*) ». Dein ad stomachica tonica deveniendum est quod si post emesim multam, non subsidant saburræ signa, per epicrasim adhibeantur cathartica & subsequantur tonica. Si deorsùm turgeat materies, evacuantia sola estote ex catharticis acidis, qualia tartris acidulus potassæ (*i*), pulpa tamarindorum, in genere salia neutra. Inter emetica eminent ippecachuana, tartris potassæ stibiatus (*k*). Apud viros robustos ipsorum administrationi præmittenda sanguinis missio ut rectiùs fiant evacuationes, & præcaveatur phlogosis. Diæta tenuior sit, vegetabilis, acidula. Si bilis jam satis ampla degeneratione seu acrimoniâ

---

possumus; nec posthàc alimenta noxia esse possunt aut talia haberi. (*e*) Febrium saburralium crisis spontaneæ non dantur stata tempora; cur non æquè variant exacerbationum tempora? (*f*) De acie vid. p. 689. (*g*) De morb. vulg., l. 1, p. 943. (*h*) De loc. in hom. 413. (*i*) Cremor tartari, tartrite acidule de potasse. (*k*) Tartarum stibiatum, tartrite de potasse antimonié.

donata, ex diuturnitate, continuitate & acrimonia epiphoræ, &c. resorpta conjiciatur, oculisque immediatas noxas importans. Tunc juvant potiones multæ, acida inprimis vegetabilia multùm diluta. Sed anteà fomitis reliquiæ eruncandæ sunt, & in hoc casu, emeticis præstare videntur cathartica: siquidem, notante *Trnka*, « cathartica, nulla humorum ad caput pellendorum pericula, secum adinstar emeticorum ducunt, non stomachum modo, verùm universum etiam tubum intestinalem à saburrâ vindicando, purum aliis deinceps remediis in secundas vias transitum efficiunt; stimulum inflammatorium ab oculis ad intestina detrahere, (& retrahere) conantur. Metastases ad oculos factas loco movent, humorumque impetum ab encephalo ad alvinas vias avertunt ».... A præcedenti parùm abludit praxis adversùs rheumatismum scorb. *Syd.* instituenda, &c. topica nulla, aut ex emollientibus, inviscantibus, leniter incitantibus roborantibus.

De Ophthalmiâ Gastrico-Pituitosâ, & de Verminosâ, &c.

17 Morbi pituitosi eamdem sortiuntur divisionem ac morbi biliosi, &c. De ophthalmiâ gastrico-pituitosa primùm agam. Ipsius ingressum complanant *atonicæ* causæ; itaque tragædiam inprimis ludit sub aëris constitutione humida & frigida, fine autumni, initio hyemis apud temperamenta laxa, infantes, mulieres senes, zonæ temperatæ incolas in locis paludosis degentes, post evacuationes profusas, seminis præsertim; hìc accedunt insuper, potus fermentescentes aut aquosi, acidorum abusus, stomacho inappetenti ciborum ingurgitatio, vita otiosa, tristis, &c. Causas enarratas consequuntur appetitûs dejectio, cibi fastidium, ructus acidi, lingua & fauces muco laridaceo obtectæ, animi tristitia stuporve, sensus doloris obtusus ad epigastrium, vomendi conatus aut vomitus pituitosus acidus, *aut* hypogastrium tensum anxium, tormina, alvus pituitosa fluxilis, caput torpens aut dolore gravatum, corpus totum quandoque dolores rheumatici cruciantes, &c. Febris plerùmque nulla, aut vix conspicuis insignita caracteribus: remittentem intermittentemve servans typum, noctù invadens & exacerbescens. Urina initio tenuis limpida, dein mucosa, sudor fœtens, &c. Quoàd symptomata localia, oculus quasi ab injectis pulvisculis dolet, epiphora simpliciter lachrymosa aut acrimoniosa, corneæ obscuratio. Vesiculæ in corneâ excitantur, & ubi acrimonia viget in ulcera degenerant, dolor capitis e latere oculi affecti, &c.: Hæc pleraque phœnomena interdiù valdè remissa, noctu periodicè exasperantur, exacerbationes comitantur pervigilia, ipsasque, absente febre, subsequitur calor naturali major. *Stoll*, &c. Species illa ophthalmiæ omnium diuturnissima evadit, plures septimanas, menses annosque durat; ipsius contumacia & pertinacia,

aut atoniæ ſub dominio degenerationis pituitoſæ, ſyſtemati gaſtrico & oculari infuſæ, vel præpoſteræ aut indirectæ medicationi, aut ægrorum negligentiæ tribuenda eſt. At plerùmque evaneſcit, ſi illius medelæ accingamur 1°. ſordes ſaburrales eliminando; 2°. tonica exhibendo topicè aut internè, quæ valeant tubo chilificationi præpoſito, bulboque tonum reſtituere, aut ſi ſubſit pituita oculis impacta, ipſam reſolvere. . . . Terminatur vomitu, aut diarrhæâ, aut ſudore, &c., multò magis moleſta eſt quàm periculoſa; pus facilè non facit, ni adjuncta ſit epiphora multùm acrimonioſa: tunc ulcera oculi aut partium vicinarum, ectropium, anchyloblepharum, &c. ſubſequuntur, ſymptomatibus malis accenſenda. Præſente colluvie pituitoſâ, attendendum eſt an humor peccans nimis ſit ſpiſſus, tenax: in hoc caſu evacuantibus præmittenda ſunt ſolventia; cæteris palmam præripiunt murias ammoniacalis, antimonialia refracta doſi exhibita (diluendæ verò bili ſolventia aquoſa magis conducunt): pituita jam ſufficienti mobilitate donata, ſtomacho vel inteſtinis inſidet; ſi priùs ad emetica, ſi poſteriùs ad cathartica confugiendum, præſtat quandoque cholera artificiale: inter carhartica eminent mercurialia. Repurgatis primis viis ad tonica deveniendum, qualia kinakina, arnicæ flores, caſcarilla, &c. Diæta ſit corroborans.

18. Licet vermes cum omnibus humorum diatheſibus complicari poſſint, attamen præ alio pituitæ connubium adamare ſolent, utpotè qui ſub illius prædominio lætiùs & faciliùs evolvantur. Colluvies verminoſa ophthalmiam creans ſæpiùs viget ætate infantili, cauſis præceſſis quæ pituitæ favent. Phœnomenis ſequentibus ſtipatur: nulla febris, aut remittens utplurimùm, dolor capitis ſuprà orbitalis radicem naſi & partes fronti vicinas occupans, narium pruritus, lingua eminentiis rubris & aphtis quandoque obſita, appetitus deperditus vel auctus, ſalivatio, halitus acido auſterus, inter dormiendum tremor, ſomnus pavore excipiente ſubitò diſcuſſus, ſopor aut pervigilia, deliria, convulſiones, dejectiones albo gryſeove colore donatæ, ramentoſæ, vermium excretio, ſuperioris ventriculi oris morſus, urinæ jumentoſæ, &c. nihil in hâcce circumſtantiâ indicant effluxus lacrymarum, pupillæ dilatatio, nictitatio, &c. . . . Sic inſtituenda eſt curatio; 1°. præmittantur anthelmintica ſolventia, propinentur dein evacuantia, iterentur pro indicatione interpoſitis anthelminticis, &c. 2°. Subſequantur tonica ex amaris.

19. Alia deprehenditur ophthalmiæ ſpecies quæ à depoſitione topicâ materiei ſeroſæ aut pituitoſæ ad oculos, natales ſuos repetit, ſeu metaſtaſi ſaburræ reſorptæ, ſive colluviei topicæ in ſecundis viis enatæ, primis necquicquam temeratis, debeatur; hanc, modo fiendi prætermiſſo, à gaſtricâ ſejungere conducit, quià ipſam non ampliùs auferre valent evacuantia; licet alvus libera profit. Illius ergo reſolutio naturæ permittenda aut promovenda per inciſiva,

ſudorifera, tonica interna aut externa, veſicantia inprimis (*a*) quæ vim vitæ adaugeant, motum febrilem ſuſcitent aut ſuſtineant. Hanc dicunt auctores, oculorum rheumatiſmum aut catharrhum cum eâ differentiâ, ut ille vehementer dolens & pertinax ſit at parùm rubeat, iſte verò doleat mediocriter, & citò fugam capeſſat; hæc varia phœnomenorum facies ad diſtinctionem nihil confert, ſiquidem diverſas cauſas materiales ſtipare, & à quâcumque ſaburrâ gaſtricâ produci poteſt; alia differentia magis genuina licet non multùm momentoſa utramque denominationem interponitur, in eo quòd rheumatiſmum procreare videatur, ſerum aut pituita plenâ cruditate fruens, undè apud hos ſaburram gaſtricam, apud illos tranſpirationis ſuppreſſionem ſequi dicitur, & ut pertinax decantatur, &c.: econtra catharrhum efficit eadem materies ſed magis craſſa, coctione aliquali jam ſubacta; undè hæc ſpecies minùs diuturna habetur, & catharrhum propriè dictum excipere vulgatur (*b*). Rheumatica plerùmque artis auxiliis indiget: catharrhalem verò ſæpiùs ſanat ſola natura; ipſi referenda videtur magna pars *Hipp.* præd. (*c*)

---

19. (*a*) « Ubi topica materiæ rheumaticæ depoſitio erat, eaque parti cuidam firmiùs inhæſerat, optimo cum ſucceſſu veſicans quàmproximè ad locum dolentem applicabatur. Sic in ophthalmiâ ſeroſâ quam ad rheumatiſmos locales ſive topicos pertinere ſuperiùs dixi, veſicans ad tempora poſitum votis reſpondit. Hemicraniam ortam ex retropreſſâ ophthalmiæ ſeroſæ materiâ veſicante penes locum dolentem applicato curavimus, quem unguento digeſtivo, addito pauxillo ſaponis, diù fluentem eroſumque ſervavimus. » *Stoll.* (*b*) Id genus ophthalmiæ, inquit *St. Yves* apud *Trnka*, « acrem in oculo pruritum excitat, cum humoris craſſi ac ſabuloſi oculos noctù ſubindè glutinantis excretione; ægritudo hæc eſt ſæpenumerò ſequela catharrhi e cerebro, eſtque omnium curatu facillima. » . . . « Ophthalmia catharrhalis ut catharrhus per aliquot dies durat, & factâ coctione materiæ catharrhalis, humor puriformis ex oculo profluit, atque ophthalmia evaneſcit. » *Plenck.* Anne potiùs ad *ſpaſmodicam* quam pituitoſam referenda eſſet? (*c*) Oculi gramioſi optimum habent ſucceſſum, ſi ſimul lacryma & gramia & tumor cœperint; aut ſi lacryma gramiæ permixta, neque vehementer calida fuerit, gramia verò alba & mollis, & tumor levis & ſolutus; his etenim ſic ſe habentibus noctù oculus conglutinabitur, ut dolorem non ſentiat, iſque caſus minimè periculoſus, minimèque diuturnus fuerit; at ſi lacryma multa & calida, cum pauciſſimâ gramiâ & exiguo tumore, idque ex altero oculo profluat, valdè diuturnum id quidem, ſed ſine periculo fit, idque lippitudinis genus doloris expers eſt. Et in his præcipuè judicatio conſideranda eſt, quæ prima quidem fit circà vigeſimum diem, quod tempus ſi ſuperat, quadrageſimus dies ſpectandus eſt, aut ſi neque in his deſinat ſexaginta diebus ſolvitur. At toto tempore ad gramiam attentum eſſe oportet; nùm in digito miſceatur, & alba ac mollis fiat: idque præcipuè ſub judicationis tempus, tùm namque ubi finitur, id evenire ſolet, &c. *Hipp.* l. 2, p. 101.

Hæ ophthalmiæ exacerbationesnon æquè conspicuas, ac *gastricæ* experiuntur (*d*). Ubi rebelles admodùm sese ostendunt, præter auxilia jam enarrata ad derivantia deveniendum, qualia sialagoga, errhina mitiora (*e*), laxantia, diuretica, setacea, fonticuli, &c. Lippitudini propriùs quàm ophthalmiæ accedit fluxio illa, quam sic refert *Hipp.* de loc. in hom. p. 413. « quod si muco inter os & carnem subsistente, ex carne & osse in oculos fluxio decumbat, ex eo cognosces quod ex iis locis defluat. Quod in capite comprimitur cedit, & ulcera in capite erumpunt, oculique illachrymantur, palpebræ non exulcerantur, neque mordet fluxio, neque oculorum aciem hebetat, sed æger acutiùs cernit, siquidem fluxio minimè salsa est, cùm de cerebro procedat, sed mucosa magis », &c. Ubi ejusmodi fluxio in palpebras, lippitudinem aut profluvium minus crassum procreans, pertinax evadit, derivantia usurpanda, v. g., fonticuli instituendi sunt in capite, sed ipsummet caput ad os usquè non secandum invito *Hippocratis* supposito, &c. De ophthalmiâ quæ symptomaticè febri catharrhali universali adjungitur nulla proferemus verba.

20. Ophthalmia quæ variolas excipit, impropriè dicitur variolosa; etenim ipsam à reliquiis morbi ad oculos depositis repetendam esse non sapit, qui septimanis aliquot post exsiccatas variolas sæpiùsnumero exoriri, attendet. Non mirum est oculos ventriculum à variolis peculiarem debilitatem nactos, diversi commatis ophthalmiæ inducendæ pares esse. Itaque colligenti probabilitates à priori & à posteriori, videtur ophthalmia variolosa, ad gastrico-pituitosas frequentiùs verò ad gastrico biliosas aut ad atonicam alias subsequentem, referenda. 1°. A priori evincuntur probabiles, causæ prædictæ, observat enim *Richterus* apud *Trnka*, has ophthalmias « *ma-* » *lignarum* in primis variolarum esse progeniem, queis nec debita pur- » gatio 4°. in stadio, nec *perspiratio promota* vires fregit, maturiorque » carnium esus concessus est » & notante *Plenck* oriuntur ophthalmiæ post variolas, « præsertim si æger non benè purgatus fuerit aut auræ » frigidæ se nimis citò exponat. » 2°. A posteriori, nam ægritudo hæc, aut facilè dissipatur, *aut* pertinaciter per annos vexat, illius curam adimplent evacuantia, tonica, *istius* demùm setacea, ulcera artificialia adstringentia, &c.

21. Ophthalmiæ siphiliticæ diversa occurrit species, alia quæ lui venereæ

(*d*) « Capitis dolorem sæpènumero ex abdomine provenire non infeliciter hariolabar, etsi omnia me signa deficerent malè habentis systematis gastrici, quod is solâ acerbitate per vices intensiori, suos à ventriculo natales proderet » *Stoll.* (*e*) « Medicamenta caput purgantia, quæ quidem sunt valentia à toto capite deducunt, quæ verò imbeclliora, ab oculis & indè à vicinis naso partibus. » De loc. in hom. p. 413, *Hipp.*

per totum corpus diffusæ symptomaticè superadditur, chronicum tenorem servans, noctu gravior sub auroram remittens. Altera à contagio externo, rectà oculis applicato (*a*), aut à virulentâ gonorrhææ repressæ materiâ per metastasim ad oculos translatâ, oritur, non ita ac prior circà aurorani remittit & citiùs incedit. Quæ biduò aut triduò post gonorrhæam suppressam sese effert, gravissima symptomata n. 1. sibi adjungit, qualia in chemosi, stipant insuper fluxus humoris puriformis, materiæ gonorrhoicæ anteà ex pene stillanti simillimi: opacitas corneæ, ejusdem excrescentiæ carnosæ in suppurationem properantes, hypopium, pustullæ exulceratæ palpebras rodentes, &c. Hæc ophthalmia difficillimè resolvitur, ut plurimùm terminatur iu suppurationem oculi interni, opacitatem corneæ & immedicabilem cæcitatem, *Plenck*, *Swediaur*. Huic impugnandæ apponuntur usus mercurii internus, balnea oculi mercurialia; excrescentiæ quæ in suppurationem abire solent, ferro extirpandæ; hypopio præsente, si puriformis materiæ dissipatio, mediantibus discutientibus non succedat, corneæ excisione paretur ipsius exitus, *Swediaur*. Revocandæ gonorrhææ inprimis allaborandum est (*b*). Libertas ventris laxantibus servanda; litus mercuriales, non nisi post revocatam gonorrhæam & citrà salivationem conducunt: his auxiliis præmitti potest venæ-sectio; *ophthalmoxisis*, seu conjunctivæ scarificatio nil prodest, imò nocet, *Plenck*.

Ophthalmia à miasmate extùs oculis applicato curatur usu mercurii externo & interno, sudoriferis, sanguisugis, vesicantibus propè oculos, &c.

---

21. (*a*) Contagium siphiliticum oculis immediatè transferre valent, oscula impura, digiti inquinati, aliaque: sic ex *Swieten* » adolescens quidam dudum consueverat singulo manè oculos abstergere urinâ calente, ut oculorum firmaret aciem. Contractam post gonorrhæam virulentam, ab hâc lotione oculorum non abstinuit, nihil mali sibi inde metuens; at citò sequebatur ophthalmia gravis ac venerea, cum acri involuntario larcrymarum fluxu & lippitudine, verùm hæc mala iisdem remediis perfectè fuerunt curata, quibus ipsa gonorrhæa ».... Chirurgus Monspeliensis, referente D. de *Sauvages*, decumbendo suprà pulvinar ptyalismo siphilitico conspurcatum, illam contraxit.... Factum sanè admodùm ambiguum! *Trnka*. (*b*) Revocandæ gonorrhææ multa suppetunt media, qualia lotus emollientes peni perinæoque applicati, &c. nullum tamen magis efficax est, quàm illius inoculatio quæ ope cereoli contaminati & urethræ immissi perficitur; etsi alia via inoculandæ gonorrhææ sensus ægrorum magis titillare posset, non suadenda, nec secum agitet Medicus an malum sub respectu mobili quâ tale habendum sit.... Si Je mal n'est que relatif l. eg. d. j.... Attamen *Pandoræ* capsula boni & mali commune erat receptaculum.

22.

22. Scrophulosa labes teneram ætatem potissimùm infestat : illa peculiaris acrimonia cum quâdam corporis debilitate conjuncta, debacchatur ubicumque excurrit systema glandulosum, ipsos oculos sæpè afficit, indè exoritur ophthalmia, cujus prosapia scrophulosa noscitur ex satellitio aliorum symptomatum qualia, colli &c. glandulæ turgidæ induratæ, pronum caput, labium superius turgens, nasus ipsemet pallidus & tumens, aut ruber & dolens; prætereà spissæ & tumidæ fiunt palpebræ, accedunt epiphora acrimoniosa, noctu conglutinatio tarsorum, corneæ obscuratio, phlictenæ ulcuscula relinquentes, ectropium, &c. Hujus ophthalmiæ therapeia, in expungendo fermento scrophuloso, sopiendove aut saltem ab oculis avertendo, revellendo, versari debet. Hinc medela radicalis aut palliativa, utrique simul obtinendæ inserviunt, internè cortex peruvianus, præparata antimonialia mercurialia, sapones alkalini, cicutæ conserva, &c.; externè topica, ex peruviani corticis cum aluminoso sulfate decocto, &c. revellentia, qualia setacea, fonticuli, vesicatoria. Ubi nulla adest complicatio, venæ-sectio & valida purgantia non conducunt, imò nocent *Plenck*, siquidem de viribus cortice peruviano & diæta corroborante sustinendis agitur; sopitâ ophthalmiâ, ipsius recursus, interno specificorum usu per intervalla frequentato & in longum tempus protracto præcavendus.

23. Rubor levis oculorum & marginum palpebralium, qui carcinomata exulcerata quocumque in loco corporis sita quandòque comitatur, dicitur ophthalmia cancrosa, cujus curatio, à carcinomatum curatione solis specificis impetranda pendet (*a*).... Ipsiusmet, bulbi in carninoma fieri potest degeneratio, quæ, ophthalmiæ præposterè tractatæ, aut virus cancrosi ad oculos depositi, est effectus; fatum illud triste vario modo ingruit, nunc in oculo sano suboritur dolor, vasa adnatæ, varicosa, sanguine atro infarcta, quasi carnea redduntur, intereà visus perit. Dein dolor ingravescit, totus globus schirrosus, ac carni rubræ similis evadit, demùm per plura loca fœdissimè finditur. Nunc in cornea vel adnata enascitur fungus, sensim totam oculi superficiem occupans, bulbus itaque in ingentem fungum dolentem degenerat *Plenck*. In tali casu videndi facultate deperditâ, de vita servanda cogitetur; itaque incipiente morbo, omnia remedia anticancrosa, quæ præsertim desumuntur ex plantis venenatis quales cicuta, belladona, &c. tentanda. Fungus parvus ligaturâ auferri potest, his non rectè succedentibus fiat oculi extirpatio, & in genere cultro potiùs quàm infidis medicamentis utitor (*b*).

---

23. (*a*) Ubi oculi & palpebrarum margines sic rubent, virus cancrosum per universum corpus jam dispersum esse, adeoque amputatione incurabilia carcinomata innuunt *Schmuker*, *Plenck*. (*b*) Carcinomata mediante ære fixo seu gas acido carbonico (le gaz acide carbonique) sanata fuisse nullius me-

24. Ophthalmia ab arthritide aut podagra retrocessâ vel anomalâ sobolescens distinguetur ex eo quod alternet cum paroxysmis arthriticis, ita ut evanescente dolore articulorum illa accedat, redeunte dolore, illa recedat. Curatio exigit, ut revocetur materia arthritica, ad articulos, fotu calido emolliente, ad pedes, v. g., pediluviorum ope, sinapismorum applicatione. Dein aqua frigida roborentur oculi.

25. Ophthalmia quæ à metastasi materiæ alicujus exanthematici morbi, ad oculos depositæ nascitur, ex præsente vel prægresso morbo, v. g., scabie herpete, capitis tineâ, &c., noscitur. Curatio exigit revocationem exanthematis, & ab oculis derivationem humoris acris. Revocant ad cutem, balnea tepida, v. g., ex aquis thermalibus, sudorifera, opium inprimis, miasmatis retrogressi inoculatio: derivant, revellunt pro suâ variâ sede, setacea, fonticuli, vesicatoria. Intereà topica modicè adstringentia oculis applicanda & quodlibet exanthema suis specificis impugnandum.

Virium tenuitas, temporisque limites de ophthalmiis putridis, de ophthalmiis etiam complicatis silere jubent; adnotabimus solùm ophthalmiam carbunculosam, gastrico-putrido-nervosis accensendam esse, ipsiusque curam antisepticis & tonicis perfici, &c. Nunc quoque de peculiari medelâ accidentium quæ ophthalmiæ tanquam symptomata accedunt, aut ipsam tanquam effectus subsequuntur, nobis agendum esset. At illa accidentia, qualia scheroma, dolor summus, epiphora, lippitudo anchyloblepharum, pterygium, hypopium, ulcera, abscessus, ectropium, synizesis, corneæ maculæ, &c., tot ferè modificationes therapeiæ quot diversæ ophthalmiæ extant causæ, requirentia, angustandos opusculi limites præterirent. Quare dùmtaxat subnectemus epiphoram acrimoniosam non semper arguere ophthalmiæ causam humoralem esse. Ipsam in genere à depositione acrimoniæ debellant primò interna specifica, diluentia: dein derivantia, qualia diuretica, fonticuli setacea, vesicatoria, topica inviscantia, &c. Epiphoræ à causâ nervosâ, v. g., atonicâ, medentur quoque fonticuli setacea vesicatoria, non quatenus labem acrimoniosam ad alia loca avocant, sed quatenùs revellunt, componunt motus qui oculis vitiosè distributi, excernenda deturpant.

27. Vos, Patres Sapientissimi, gratiâ officii haud injussa verba proferentem, in rectam viam reducetis tironem, si errori debitum humanum solvit, dùm suæ dissertatiunculæ affundere intendebat haustum, vestro, lumen de lumine.

---

menti testantur observationes; etenim si sola suppuratio, ipsius attamen nesciam molem inorganicam solvere possit. Quid proderit gaz illud, ipsam potiùs coercere valens, torporem partibus affundens, ipsarumque sensibilitatem & irritabilitatem minuens? &c; at inter remedia quæ curæ palliativæ conducunt, non infimum obtinet subsellium.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Uuniversitatis Cancellarius & Judex.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES-CAROLUS DE GRIMAUD.

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXVIII.